

dratos fuisse, propterea arbitrarier tineas non tetigisse. In his libris scripta erant, philosophiæ Pythagorica. Eosq; combustos à Q. Petilio prætore, quia philosophiæ scripta essent. Hoc idem tradit C. Piso censorius primo commentariorum. Sed libros septem iuris pontifici, totidemque Pythagoricos fuisse. Tuditanus decimo tertio, Numæ decretorum fuisse. Libros duodecim fuisse, ipse Varro humanarum antiquitatum quinto. Antias secundo, duos pontificales Latinos, totidem Græcos præcepta philosophiæ continentes. Idem tertio, ponit quo comburi eos placuerit. Inter omnes uero conuenit, Sibyllam ad Tarquinium Superbum treis libros attulisse. Ex quibus igni duo cremati ab ipsa, tertius cum capitolio Syllanis temporibus. Præterea Mutianus ter consul prodidit nuper se legisse, cum præsideret Lyciæ, Serpedonis à Troia scriptam in quodam templo epistola chartam. Quod eo magis miror, si etiamnum Homero condente Aegyptus non erat: aut cur, si iam hic erat usus, in ipsa illa Lycia Bellerophonti codicillos datos, non epistolas prodidit? Sterilitatem sentit hoc quoque. Factumq; iam Tiberio principe inopia chartæ, ut è Senatu darentur arbitri dispensandi: alias in tumultu uita erat.

De arboribus Aethiopiæ. CAP. XIII.

A Ethiopia Aegypto contermina insignes arbores non fere habet, præter laniferas, quarum natura in descriptione Indorū, atq; Arabiæ dicta est. Propior tamen huic natura lanæ, maiorque folliculus granati modo mali: similesque & inter se arbores ipsæ. Præter hanc palmæ, quales retulimus. Insularum arbores ambitu Aethiopiæ, & nemora odorata, in mentione earum dicta sunt.

De Atlantis arboribus, & cedrinis mensis, & quæ in his laudentur, & quæ uituperentur. CAP. XV.

Atlas mons peculiari proditur sylua, de qua diximus. Confines ei Mauri, quibus plurima arbor cedri & mensarum insania, quas femina uir contra margaritas regerunt. Extat hodie M. Ciceronis in illa paupertate, et quod magis mirū est, illo quo emptæ H-S. decem. memoratur & Galli Asinij H-S. undecim. Venundatæ sunt & duæ Iuba rege uendente: quarum alteri pretium fuit H-S. quindecim, alteri paulo minus. Interijt nuper incēdio à Cethegis descēdens, H-S. quatuordecim permutata, latifundij taxatione, si quis prædia tati mercari malis. Magnitudo amplissima adhuc fuit, unius commissæ ex orbibus dimidiatis duobus, à rege Mauritaniæ Ptolemæo quatuor pedum & semipedis per medium ambitum, crassitudine quadrantalī: maiusque miraculum in ea est artis latente iunctura, quam potuisset esse natura solida. Item à Nomio Tiberij Cæsaris liberti cognomen trahentis, tribus sicilicis infra quatuor pedes, totidemque infra semipedem crassitudinis. Quæ in re

non omittendum uidetur: Tiberio principi mensam quatuor pedes sextante & sicilico excedentem, tota uero crassitudine sescunciali, operimento laminae uestitam fuisse, cum tam opima Nomio liberti eius esset, cuius materia erat tuber: hoc est radices uitium, maximeq; in eo laudatum, quod sub terra totum fuerit, & rarius quam quæ superne, quæque gignuntur etiam in ramis: proprieque quod tanti emitur arborum uitium est, quarum amplitudo ac radices æstimari possunt ex orbibus. Sunt autem cupresso feminae etiamnum syluestri similes folio, odore, caudice. Anchorarius mons uocatur citerioris Mauritaniæ, qui lautissimam dedit cedrum, iam exhaustus. Mensis præcipua dos in uena crispis, uel in uertice uarijs. Illud oblongo euenit discursu, ideoque tigrinae appellantur. Hoc intorto, & ideo tales pantherinae uocantur. Sunt & undatim crispæ, maiore gratia, si pauonum caudæ oculos imitentur. Magna uero post has gratia extra prædictas crispis densa ueluti grani congerie, quas ob id à similitudine apiatas uocant. Summa uero omnium in colore. Hic maxime mulsi placet, suis refulgens uenis. Post hæc amplitudo est iam totius caudicis. Iuuant plura quoque in una mensa uita. Lignum, ita uocatur materia surda, & indigesta simplicitas, aut platani foliorum modo digesta. item iligine uenæ similitudo uel coloris: & quibus maxime obnoxias fecere æstus uentique, rimæ, aut capillamenta rimas imitata. Postea muræna nigro transcurrens limite, uarijsq; corticum punctis apprebensus papauerum modo, & in totum atro propior color, maculæ uel discoloris. Virides terra condunt barbari, & illinunt cera. Artifces uero frumenti aceruis imponunt septenis diebus, totidem intermissis: mirumque ponderi quantum ita detrahant, naufragia docere nuper, hanc quoque materiam siccitam mari, duritie incorrupta spissari, non ullo modo uehementius. Nutriuntur optime, splendescuntque, manu sicca fricata à balineis maxime: nec à uinis laduntur, ut his genite. Inter pauca nitidioris uitæ instrumenta hæc arbor est: quæ propter insistentium ei quoque paulum uidetur.

Thya arbor quæ.

CAP. XVI.

Nota etiam Homero fuit: θεῖον Græce uocatur, ab alijs thya. Hanc igitur inter odores uri tradit in delicijs Circes, quam deam uolebat intellegi, magno errore eorum, qui odoramenta in eo uocabulo accipiunt, cum præsertim eodem uersu cedrum laricemque una tradat: in quo manifestum est de arboribus tantum locutum. Theophrastus, qui primus à magni Alexandri ætate scribit quæ circa urbis Romæ quadragesimum quadragesimum gesta sunt annum, magnum iam huic arbori honorem tribuit, memoratas ex ea referens templorum ueterum contignationes, quandamque immortalitatem materiae in testis contra uitia omnia incorruptæ. Radice nihil

p q crispus